



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

1. An ignis præcedet Christum ad iudicium venientem.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

die iudicii futuro, ex sententia omnium antiquorum Patrum, & Theologorum, quos infra referemus.

Ut vero rationem huius veritatis reddamus, simulque posteriorem conclusionis partem probemus, oportet accedamus ad secundum punctum in principio sectionis positum, scilicet, propter quem finem futurus sit hic ignis in die iudicii. De qua re variae sunt sententiae. Prima est, illum ignem futurum esse, partim, ut breui interficiat homines, qui viui reperientur in die iudicii, partim ut purget iustorum maculas, si aliqui in eis inueniantur. Ita docet Antonin. Bonauent. August. 4. p. tit. 14. §. 3. Bonauent. sup. q. vltima, & alij Scholastici infra citandi. Idemque videtur indicare Augustin. lib. 8. 50. homiliar. in 16. iuxta quam sententiam, ignis hic non tantum antecedit venientem iudicem: sed etiam mortem, & resurrectionem hominum. Sed licet demonstrare non possimus, hanc sententiam esse falsam, quia neque est impossibile, neque reuelatum est non ita esse futurum: offendere tamen possumus, eam nullo fundamento niti. Quia ad hominum necem non erit ignis necessarius: nam constat multis alijs modis posse Deum mortem eorum hominum disponere. Præterea aliqui iusti moriuntur, qui nulla indigent purgatione, quos non est credibile viuos esse igne comburendos, ut Richardus, & nuntuli ex Scolasticis distinctione 47. notant. Nam quod alij dixerunt diuinitus efficiendum esse ut viui conflagrantur sine sensu dolore, quia facilitate dicitur, reijci potest, quia est miraculum sine fundamento constitutum. Denique supra ostendimus ex sententia omnium Patrum iustos qui viui inueniuntur in die iudicii, non esse comburendos, neque in cineres resoluendos. Rursus neque ad purgationem iustorum erit ille ignis necessarius. Partim enim purgantur in hac vita per alias tribulationes, quæ illo tempore maximæ erunt, partim post hanc vitam in ipso loco & igne purgatorij. Cum enim prius morituri sint, etiam si breuissima mora inter mortem & resurrectionem sit futura, non manebunt animæ separatae in hac vita, ut in illo igne purgentur, sicut animæ iustæ perfecte purgatæ, statim recipiuntur in cælum, etiam pro illo modico tempore: animæ vero damnatae descendunt in infernum: ita animæ purgandæ descendunt in locum purgatorij. Hæc est enim ordinaria lex, à qua non est fauenda exceptio sine fundamento. Propter hunc ergo finem non erit hic ignis necessarius, sed sufficiet ignis purgatorij, de quo loquitur Aug. citato loco, & clarius li. de vera & falsa penit. c. 8. Neque obstat quod Anthonius dicit post iudicium non esse futurum ignem purgatorij quoad finem purgandi: quia purgatio, de qua agimus, non subsequetur iudicium, sed præcedet.

Secunda sententia est hunc ignem requiri ut purgetur ac purificetur mundus. Quæ sententia duo subponit. Primum est mundum esse purgandum per ignis conflagrationem, quod est certissimum, sed non est à nobis tractandum vsque ad sequentem disputationem propter ea quæ dicemus. Alterum est hæc purgationem & conflagrationem mundi faciendam esse ante iudicis aduentum, vel etiam ante hominum resurrectionem: ex quo recte concluditur hunc ignem antecessurum aduentum iudicis, imò & sonitum tubæ excitantis homines ad iudicium. Hanc sententiam indicat Beda li. de rat. tempo. c. 69. clarius eam docet D. Th. in 4. d. 47. q. secunda, art. 3. vbi Mag. eandem sententiam tenet. Dur. q. 3. Pal. q. 1. Math. q. 2. Supplem. q. 2. ar. 3. Rich. ar. 2. quæst. 4. & 5. Scotus dis. 48. quæst. 4. art. 1. & 2. Fundamentum eorum est, quia mundi innoatio, hominumque resurrectio simul futura est: sed mundi purgatio per ignem antecedit innoationem mundi, quia est quædam dispositio ad illam, ut infra dicemus: ergo antecedit etiam hominum resurrectionem, & à fortiori iudicium. Maior probatur, quia mundi innoatio

A erit propter gloriosa corpora hominum, iuxta illud ad Ro. 8. Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei: ergo innoatio mundi, & glorificatio hominum simul fient: ergo & resurrectio, quia iusti simul ac resurgent, habebunt corpora gloriosa. i. ad Corinth. 15. Hæc sententia est probabilis præcipue propter autoritatem tantorum doctorum.

Nihilominus probabilius censeo hunc effectum purgationis mundi non esse antecessurum iudicium, sed subsequiturum potius, atque adeo ob hanc rationem non esse necessarium, ut ignis aliquis iudicis aduentum præcedat. Quam sententiam tenet Bonauent. in 4. d. 47. art. 2. quæst. 5. Sed (quod me maxime mouet) est expressa Augustini 20. de Ciuit. ca. 30. in fine, vnde cum numerasset omnia quæ futura sunt in die iudicii, & vltimo loco mundi conflagrationem, & renouationem posuisset, concludit his verbis. Quæ omnia quidem ventura esse credendum est, sed quibus modis, & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet consequi ad perfectam hominum intelligentiam. Existimo tamen eo quo à me commemorata sunt ordine esse ventura. Respondet Scholastici Augustinum opinando fuisse loquentum. Sed nec nos asserimus hoc esse certum, sed tamen August. opinionem & probabiliorē illam eligimus. Neque Augustinus videtur in ea fuisse valde dubius, nam sæpius in eo libro ea vititur, ut cap. 16. Iudicium (inquit) hominibus, tunc figura huius mundi, vandenorum ignem conflagratione præterbit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluuii. Et cap. 18. Querat, inquit, aliquis, Si post factum iudicium mundus iste ardebit, antequam pro illo cælum nouum, & terra noua reponantur, eo ipso tempore conflagrationis eius, vbi erunt sancti? Et respondet, vel futuros esse in superioribus locis ad quæ ignis non pertinet: vel etiam si illic perueniat, talia esse futura sanctorum corpora, ut ab eo lædi nequeant. Augustinum in omnibus secutus est Iulianus Pomerius lib. 3. Pronost. cap. 46. & sequentibus. Idem docet Anselm. in Elucidar. vbi sic ait, Peracto iudicio diabolus cum omnibus impijs in stagnum ignis ardentis precipitabitur: Christus vero cum sponsa sua, id est omnibus electis cum triumphali gloria in ciuitatem Patris sui cælestem Ierusalem reuertetur. Et infra inquit, Quid postea de mundo erit? Et respondet conflagrabit. Eandem sententiam indicat Prosper in Dimid. temp. cap. 19. & 20. Nam prius iudicium, postea ponit ignem conflagrationis. Coniecturæ vero sunt prima, quia ignis conflagrationis, etiam iuxta autores primæ sententiæ, duraturus est, & habiturus aliquem effectum post iudicium: ergo non est credibile venturum totum illum ignem ante iudicem, & duraturum quamdiu iudicium durabit. Nam iuxta communem sententiam ille ignis replebit totum mundum & ascendet super omnes montes: ergo oportebit, vel omnes iudicandos esse intra illum ignem, vel explicari non potest sine multis miraculis vbi nam toto illo tempore futurus sit. Secunda quia omnes Theologi dicunt, mundum esse purgandum, quia est veluti foedatum peccatis hominum, sed, cum ante iudicium finitum damnati homines futuri sint in hoc mundo, sua præsentia, suisque blasphemijs illum iterum foedabunt: ergo donec protus sint ab hoc mundo pulsi, nondum est opportunum tempus purgandi illum. Neque etiam ex parte beatorum est necessitas vel opportunitas, quia non est necesse ut in ipso momento resurrectionis ante auditam sententiam consecuti sint gloriæ statim quoad omnia accidentalia intrinseca, & extrinseca. Quia nec Christus Dominus hoc est in sua resurrectione omni ex parte consequutus: neque enim statim est propter illum totus mundus renouatus, quamuis magis hoc ei sit debitum quam omnibus hominibus. Satis ergo est ut omnes iusti in sua resurrectione consequantur intrinsecam gloriam

riam corporis & animæ: & quod reliqua extrinsecâ paulò post debito ordine, opportunoque tempore eis conferantur. Et hoc amplius patebit ex disputatione sequente. Ex hoc ergo capite non est necessarium, ut ignis antecedit.

Tertia sententia est, finem huius ignis esse ad probandos, vel purgandos homines iam resuscitados, & bonos à malis discernendos. Hæc sententia fuit aliquorum antiquorum, Lactantij libro 7. cap. 21. ubi cum dixisset, omnes iniquos in resurrectione esse igni tradendos, subdit, Sed & iustos cum iudicauerit Deus etiam igne eos examinabit. Tum quorum peccata vel numero, vel pondere prauauerint, perstringentur igni, atque comburentur: quos autem plena iustitia, & maturitas virtutum incoxit, ignem illum non sentient. Hærent enim aliquid in se Dei, quod vim flammæ repellat, ac resistat. Tanta vis est innocentia, ut ab ea ignis ille recedat innoxius, qui accipiet à Deo hanc potestatem, ut impios urat, iustus obtemperet. Et Origen. homil. 14. in Lucam explicans illa verba, Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, ita inquit, Ego puto, quod & post resurrectionem ex mortuis indigeamus sacramento eluente nos, atque purgante. Nemo enim absque sordibus resurgere poterit. Unde homil. 3. in Psalm. 36. Vt ego inquit, arbitror, omnes nos venire necesse est ad illum ignem; etiamsi Paulus sit aliquis, vel Petrus, veniet tamen ad illum ignem: sed illi tales audiunt, etiamsi per ignem transierint, flamma non aduret te. Si vero aliquis, similis mei, peccator sit, veniet quidem ad ignem illum, sicut Petrus, & Paulus, sed non sic transiet sicut Petrus, & Paulus. Eandem doctrinam habet libr. 8. in Epist. ad Rom. sub fin. Verum est in his duobus posterioribus locis non loqui aperte Origenem de igne conflagrationis, sed absolute de igne quo puniuntur, & purgantur peccata. Idem tamen Orig. homil. 13. in Ierem. Si quis, inquit, in secunda resurrectione seruetur, iste peccator est, qui ignis indiget baptismo, qui combustionem purgatur, ut quicquid habuerit lignorum, feni, & stipule, ignis consumat. Sed in hoc etiam loco videtur alludere Origenes ad errorem suum, quod omnia peccata tandem per ignem purgantur. Cæsarius vero Arelat. homil. in id. 1. ad Corinth. 3. Saluus eris, sic quasi per ignem, dicit, si usque ad diem iudicii aliquorum iustorum peccata non fuerint plene purgata, post resurrectionem esse igne purganda. Ambrosius etiam enar. in Psalm. 36. circa id. Gladius eorum intret in corda ipsorum, dicit, omnes nos igne examinandos, & videtur loqui de die iudicii, nā adducit illud Malach. 3. Quis sustinebit diem aduentus eius? Ipse enim quasi ignis conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & subdit, Igne purgantur filij Leui, igne Elzebiel, igne Daniel. Sed si, etsi per ignem examinantur: dicunt tamen, Transiunt per ignem, & aquam. Alij in igne remaneunt, &c. Similia repetit serm. 5. & 20. in Psalm. 118. Hilar. etiam Psalm. 118. o. thonario tertio in principio, inter alia remedia ad purgandas animas ponit ignem iudicii, quo Deus nos decoquet. Et inferus circa illa verba, Concupiscit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore, ait, An cum ex omni otioso verbo rationem sinis praestituri, diem iudicii concupiscimus, in quo subeunda sunt gravia illa expianda à peccatis animæ supplicia. Rursus Glossa interlinealis in id. Daniel. 7. Thronus eius flammæ igne (inquit) ut malos puniat, bonos purget: & Glossa ordinaria, Ut peccatores peccatorum magnitudinem pertimescant, & iusti saluentur, sic tamen quasi per ignem. Quæ verba sumpta sunt ex commentariis Hieronymi, qui etiam obscure loquitur libr. 3. in Amos circa illud cap. 7. Ecce vocabis ignem ad iudicium: & super Psalm. 96. & 103. si tamen eius sunt illi commentarii. Denique Ecclesia in officio defunctorum sæpe repetit, Iudicaturum seculum per ignem, quia nimirum omnes sunt per ignem examinandi, & purgandi. Atque ita iuxta hanc sententiam necesse est, ut ignis antecedit iudicium, tanquam instrumentum Diuinae iustitiæ.

August.

Hilar.
Psalm. 118.Dan. 7.
Gloss. Ordin.Hieron.
Amos 7.

Verumtamen hæc sententia proprie intellecta manifestum errorem continet, nisi pie explicetur. Nam in primis asserere omnes iustos purgandos esse per ignem, prius quam ad Beatitudinem perueniant, est hæreticum contra aperta dogmata fidei. Primum, de ijs, qui in hac vita nunquam peccauerunt venialiter, & gratiam sunt assequuti, ut sunt beata Virgo, & infantes, qui suscepto lauacro regenerationis moriuntur. Secundum, de Martyribus, quibus peccata remittuntur, quoad culpam, & penam, & idem est de omnibus baptizatis, si statim moriantur. Et de alijs etiam certo constat, posse in hac vita perfecte satisfacere: asserere autem neminem id facere temerarium est, & sine fundamento. Tertium, quia Paul. 1. ad Corinth. 13. aliquos dicit saluari per ignem, qui ædificant lignum, fœnum, & stipulas: non vero eos, qui ædificant aurum, argentum, & lapides preciosos, ut recte exponit Augustinus Psalm. 37. & tradit Hieronymus libr. 2. contra Iovinian. & definit Concil. Florentin. sess. vltima. Neque contra hoc inuenio aliquid fundamentum contrarij erroris. Quod si non sit sermo de omnibus Sanctis absolute: sed de omnibus illis, qui purgatione indigent, licet iam non potuit prædicta sententia, nisi ex alio damnato errore oriri. Qui enim opinantur, animas hominum non iudicari in morte, nec præmium, aut penam recipere, sed referuari in abditis receptaculis, usque ad iudicium vniuersale, consequenter dicunt, sicut non accipiunt homines vltimum præmium, vel penam: ita neque etiam purgari, donec sint facta generalis resurrectio, & iudicium: ex quo satis consequenter dicere poterunt, purgandos esse homines igne conflagrationis. Atque hoc modo procedit Lactant. citato loco. Reliqui enim non tam aperte rem explicarunt. At verò supposita fidei sententia, animas singulorum hominum statim in morte iudicari, & condignam penam, aut præmium recipere (præmissa purgatione, si illa indigent) necessario sequitur, post resurrectionem, nullam esse futuram hominum purgationem. Quia damnati nunquam purgantur, sed perpetuo puniuntur, ut contra Orig. late tractat Aug. 21. de Ciuit. c. 27. Iusti vero nihil iam purgandum habebunt. Tum quia iam penas debitas in purgatorio persoluerunt, & Deus non iudicat bis in idipsum. Tum etiam, quia cum iam sint beati, necesse est, ut sint omnino mundi, quia nihil coinquinatum introibit in celestem ciuitatem. Et iam non sunt capaces doloris, & tristitiæ. Et ita hæc veritas euidenter sequitur ex principijs fidei, loquendo generatim de Sanctis hominibus. Illud vero, quod specialiter indicabat Cæsarius, fieri posse, ut tempore generalis resurrectionis, aliqua inueniantur animæ iustæ, non plene purgatæ, quæ prius suis corporibus vniantur in resurrectione, quam beatæ hant, & ideo purgari possint corpore, & animo per hunc ignem: hoc (inquam) non videtur tam clare repugnans prædictis principijs fidei. Nihilominus omnino falsum, atque erroneum censendum est. Quia recte Paulo 1. ad Cor. 15. duo tantum sunt ordines resurgentium, vnus iniquorum, qui resurgent quidem, sed non immutabuntur: alius iustorum, de quibus Paul. ait, Primitia Christus, deinde ij qui sunt Christi, atque de eisdem postea subiungit, Seminatur corpus animale, surgit spirituale, & 1. ad Thess. 4. Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos, qui viuimus, qui relinquamur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus. Ergo nulli erunt iusti post resurrectionem purgandi, sed omnes in corporibus gloriosis resurgent, Et hic est communis cōsensus Catholicorum omnium. Neque est quod timeamus, ne in puncto resurrectionis sint aliqua animæ iustæ nodum perfecte purgatæ. Diuina namque prouidentia facilitum erit, omnia ita disponere, & talem purgationis modum, aut pœnem mensuram singulis accommodare, ut omnium purgatio

August.

gatio conuenienti tempore, ad generalem resurrectionem definito, perfecta fit. Alioqui eodem modo dici posset, aliquos esse post generale iudicium purgandos, quod est omnino falsum, vt docet Aug. 21. de Ciuit. c. 16. Probatur sequela, nam fieri poterit, vt eo tempore non sit perfecta purgatio. Vel certe fingere quis poterit, inter generalem resurrectionem, & iudicium longum tempus esse futurum, vt prius hominum purgatio possit absolui. Quod si quis dicat, Deum esse prouisorium, vt breue tempus ad hoc sufficiat, multo melius dicet Deum prouisorium, vt nullum tempus sit ad hoc necessarium, sed vt omnis purgatio ante resurrectionem, perfecta sit.

August.

Obiectio.

Responsio.

Dices: Cum homo animo, & corpore constans peccata committat, cur non etiam in corpore, & animo purgandus erit? Aut saltem, quod est incommodum, vt hic purgationis modus in aliquibus locum habeat? Respondetur, totam rationem culpæ, & offensæ diuinæ in anima existere: corpus vero solum esse organum, quo anima vititur, & ideo perfectam purgationem in sola anima fieri, vel potius consummari. Semper enim necesse est, vt satisfactio pro culpa commissâ in corpore incipiat, & ab ipso homine adhuc in carne viuentem fiat, saltem per contritionem, & dolorem, atque ita semper corpus aliqua pena afficitur: & ipsa etiam mors, imo & corruptio, quæ post illam sequitur, quædam est peccati poena. Igitur (si quid reliquum est) in anima ipsa expiari potest, quæ nobilissima est pars hominis, & præcipua causa peccati. Noluit autem Deus aliquid purgandum post resurrectionem reseruari. Quia, aut id futurum erat in omnibus iustis, & hoc non expediebat: tum quia non omnes indigent tanto tempore, vt purgentur: cum etiam, quia alias primandis essent beatitudinis vsque ad resurrectionem, quia non essent antea plene purgati. Vel futurum tatum erat in aliquibus, & hoc etiam non expediebat: tum quia non erat maior ratio de quibusdam, quam de aliis: neque erat maior necessitas, vt explicatum iam est. Tum etiam, quia fuit expediens, vt generalis resurrectio in omnibus esset eiusdem rationis, & veluti terminus vltimus, & immutabilis viatorum hominum. Relinquitur ergo, vt neque propter hunc finem, vel effectum sit necessarius ignis, qui aduentum iudicis antecedit. Quomodo autem pie possint explicari sancti præsertim Ambrosii, Hieron. & Hilarii statim dicemus.

Ignis Christi iudicis præcessurus quem sit effectum habentis.

Psal. 49.

2. Thess. 1.

Quarta igitur sententia est, venturum esse ignem ante faciem iudicis venientis ad generale iudicium vt statim terreat damnatos, eosque punire incipiat. Sicut enim corpora beatorum statim, ac resurgent, incipient frui dotibus gloriosis, at tollique ad celestia cum Christo: ita è contrario damnati statim incipient poenam sensus, etiam in corporibus experiri, & ab igne detineri, & cruciari: & ideo necesse est, vt ante iudicem ignis adueniat, qui saltem eum locum occupet, in quo erunt corpora damnatorum. Et hoc sensu existimo, hanc sententiam esse valde probabilem, & scripturæ consentaneam propter duo præsertim testimonia. Prius est illud Psalm. 49. Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Nam hic Psalmus iuxta communioem expositionem ad litteram de aduentu Christi ad iudicium intelligitur, & potest propriè de igne intelligi, imo nisi ita exponatur, non potest commode declarari quomodo ignis ille antecessurus sit. Præterea verbum illud, Exardescet, & quod postea sequitur, tempestas valida, satis indicant sermonem esse de vero igne sensibili. Alterum testimonium est Paul. 2. ad Thessal. 1. In reuelatione Domini Iesu de celo, cum angelis virtutis eius inflama ignis dantis vindictam iis, qui non nouerunt eum. Ex quo loco simul etiam videtur probari, & hunc ignem esse futurum, & ad quem finem: nimirum ad terrorem, & vindictam malorum: non

Fr. Suarez. tom. 2.

A verò ad iustos interficiendos, vel purgandos. Et videtur alluisse Paul. ad locum citatum ex Psalm. 99. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Quod etiam testimonium cõtemnendum non est. Nam licet alium possit fortasse habere sensum: tamen de secundo Christi aduentu videtur illud citasse Paul. ad Heb. 1. Præterea cum cætera scripturæ testimonia possint hoc modo facile intelligi, & in eo nullum sit inconueniens: sed per se potius sit valde credibilis, rationique consentaneus, nulla ratione negandus videtur. Adde, sic quoque optime intelligi illa verba Ecclesiæ. Qui venturus est iudicare saeculum per ignem: & omnes alia Sanctorum locutiones huic sententiæ fauent, & si in aliquibus est vlla difficultas, iuxta eandem conuenienter potest expediti, vt statim dicam. Signum ergo est, esse veram.

Heb. 1.

Psal. 161.

Hilar.

Basil.

Ista 4. & 9.

Hieronym.

Sophon. 1.

Ex hac igitur resolutione intelligitur: Primo. Sancti quomodo explicari possint sancti Patres, præsertim Ambrosius, Hieronymus & Hilarius, cum interdum dicunt, & omnes iustos per ignem esse purgandos, aut probandos, vel examinandos. Si enim in omni rigore, & proprietate hæc verba exponatur, aliud est probari igne, aliud purgari. Nam Probari, solum significat per actionem, & quasi testimonium ignis ostendi alicuius innocentiam, & sanctitatem. Quomodo dici possunt probati per ignem tres pueri Babylone: quia in camino ignis eorum fides, & religio probata est, quamuis ipsi purgati non fuerint, iuxta illud Psalm. Ignem examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Purgari autem proprie significat purificari, & mundari, & ideo in rigore supponit maculam in eo, qui purgatur. Sancti ergo (quidquid sit de Lactan. & Origen.) non sentiunt omnes sanctos esse purgandos, sed interdum significant, esse probandos per ignem iudicij, quod potest intelligi, quasi negatiue, quia ignis ille crucians damnatos, & sanctos non attingens, eorum sanctitatem & iustitiam quasi probabit, & contestabitur. Quod si interdum de purgatione loquantur, neque absolute de omnibus sanctis loquuntur, sed de iis, qui purgatione indigebunt, neque de igne conflagrationis: sed de igne, quo purgantur peccata: imo neque de iudicio vniuersali, sed absolute de iudicio diuino. Quomodo loquitur aperte Hilar. loco citato, & Basilii in 4. cap. Ista circa illa verba, Expurgabit Ierusalem in die iudicij: & cap. Basil. 9. circa illa verba, Indignatione Domini subuersa est terra: & Hieron. Sophon. 1. circa illa verba, Vox dei Domini amara, quæ dicit, posse referri & ad consummationem mundi, & ad vniuersi usque exitum vitæ, & subdit, eam diem dici, amaram, quia etiam sancti, quamuis saluentur, sed tamen, sic quasi per ignem, ubi nec generaliter de omnibus sanctis loquitur, nec de igne conflagrationis, sed angustia, & tribulationis, vt statim explicat. Atque eodem modo Augustinus lib. 9. contra Iulian. cap. 5. dicit, nulla peccata remitti in regno seu resurrectione (vt prius explicauerat:) aliqua vero remitti in iudicio nouissimo: quod necesse est, intelligi de iudicio particulari.

1. Cor. 3.

August.

Secundo in superiori sententia intelligitur, quo tempore, seu ordine antecessurus sit ignis vniuersale iudicium. Quatuor enim dicendi modi ex dictis colligi possunt. Primus, futurum illum ignem post peractum iudicium, & nullo modo præuenturum iudicem. Sed quamuis omnes auctores doceant, duraturum illum ignem vsque ad peractum iudicium: tamen nullus negat, quin aliquo modo sit etiam iudicium antecessurus. Et ideo contraria sententia nullo modo probanda est, præsertim cum non sit consentanea scripturis. Secundus modus est, venturum illum ignem ante generalem mortem hominum. Et hunc tenet aperte Lactan. lib. 7. ca. 19. vbi etiam ante mortem Antichristi dicit, venturum hunc ignem, quod singulare est, & sine fundamento

Lactan.

L II

confi-

confictum, sicut pleraque alia, quæ in eod. c. scribit. Aliiter verò sequuntur hunc modum multi ex Scholasticis, ut supra vidimus. Tertius modus est, venturum hunc ignem post mortem omnium hominum ante generalem resurrectionem: in tanta verò magnitudine, ut mundum vniuersum repleat, ut illum purgare possit. Sed hi duo modi nobis non sunt probati. Quartus est, ut statim post resurrectionem hominum mittatur hic ignis, non tamen in tanta quantitate, sed in ea, quæ sufficiat ad inuoluendos homines damnatos, & occupandum totum locum, in quo ipsi fuerint: & hic modus nobis probatur propter ea, quæ diximus. Vnde consequenter dicendum est, hunc ignem in ea quantitate, loco & actione permanfurum quamdiu durauerit iudicium: eo vero finito multiplicandum esse, & augendum, ut vniuersum mundum possit amburere. De quo infra dicturi sumus.

*Ignis Christi
sum indicem
precessurum,
cuius natura
sit, & origo*

Tertio colligitur ex dictis resolutio vltima dubitationis in principio huius sectionis posita, scilicet, cuius naturæ, & originis futurus sit huiusmodi ignis. Erit enim eiusdem naturæ cum igne inferni. Nam ad eundem effectum mittetur, & assumetur ut instrumentum diuinæ iustitiæ. Vnde sicut ignis inferni corporeus est, eiusdemque rationis cum elementari, iuxta receptam fidei sententiam, quæ alio loco demonstranda est: ita non est dubium, quin hic ignis elementaris futurus sit. Quin potius aliqui existimant, ignem illum ab ipso inferno esse diuinæ virtute reuocandum. Sed multo verisimilius est (quod Lañan. supra dicit) è superiori regione dimittendū. Id enim magis significant Scripturæ, & ad representandam diuinam iusticiam, & terrorem, ac iram aduenientis iudicis multo magis est consentaneum. Et quamuis verum sit (quod August. ait 20. de Ciuit. ca. 16.) neminem posse scire, vnde generandus sit hic ignis: facile tamen intelligi potest, esse diuinæ virtute procreandū, vbi conuenientius fuerit, vel applicando actiua passiuis, vel solo Christi imperio, ut iterum larius dicemus dist. sequenti, agentes de igne conflagrationis.

Lañan.

August.

SECTIO II.

Utrum signum Crucis præcessurum sit iudicem tantquam proprium eius vexillum.

Matth. 24. *Signum crucis in die iudicii appari-
turu.* *Chrysost.* *Hieron.* *Hilar.* *Beda.* *Leo Papa.* *August.*
Væstio hæc orta est ex verbis illis Christi Domini Matthæi 24. Tunc parebit signum Filij hominis in celo, & tunc plangent omnes tribus terre, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus celi. Hoc enim signum nullum aliud esse futurum, quam crucem Christi, omnes Patres summa confessione docent exponentes hæc loca, Chrysostomus & Græci, Hieronymus, Hilarius, Beda, omnesque Latini. Idem Chrysost. optime homil. de cruce, & latrone, cuius sententiam refert, & probat Leo magnus epistola 97. ad Leonem Augustum. Idem Autor imperfecti in Matth. homilia 49. Hilarius etiam lib. 3. de Trinitat. & Augustinus late, atque eleganter serm. 103. de tempore. Ac denique Ecclesia canit. Hoc signum erit in celo cum Dominus ad iudicandum venerit, & ex verbis Christi id satis colligitur. Quia nullum aliud potest per antonomasiam dici signum Christi, ut enim ait Cyril. Ierosolym. cap. 15. Signum verum & proprium Christi est crux. Apparebit autem tunc hoc signum (ut August. ait) Vt agnoscant consilium iniquitatis suæ, qui Dominum maiestatis crucifixerunt. Quia verò (ut Paul. ait) omnes qui mortaliter peccant, terum, quod in se est) Christum crucifigunt, ideo apparebit etiam hoc signum ad arguendos, & confundendos omnes peccatores, & ideo post illud signum subiungit Christus, Tunc plangent omnes tribus terre, Videntes (ait August.) accusatores suum, id est, ipsam crucem, & in ipso arguente cognoscent peccatum suum. Sero, & frustra fatebuntur implam

Heb. 6.

A *laxitatem.* Apparebit denique hoc signum ad consolationem, & gaudium iustorum. Videntes enim signum, quo sunt redempti, summa consolatione, & gaudio aficientur. Quia (ut Cypranus dixit sermo. de natiuit.) *Non timetur mortis periculum, vbi tanta reuerentia conspiciatur signum.* Hæc ergo veritate supposita, tria nobis explicanda sunt. Primum, quæ, & qualis futura sit illa crux. Secundum, quando sit apparitura. Tertium, quomodo deferenda sit ante iudicem, & an cum illa, alia etiam passionis insignia ferenda sint.

Circa primum aliqui existimant, crucem illam, quæ Christus pendit, fore in die iudicii reformandam (collektis, atque inter sese compactis particulis omnibus, quæ per vniuersum mundum dispersæ sunt) in celisque leuandam, & coram Christo ad iudicium veniente deferendam. Ita sentit VValdens. *tom. 3. de sacramentalib. tit. 2. c. 168. & existimat esse sententiam Chrysost. dist. hom. de cruce, & latrone, vbi sic ait, Crucem solam non reliquit in terra, sed secum eam leuabit ad celum, & ideo cum ipsa veniet, cum ipsa secandam gloriosam suam præsentiam faciet.* Afferi etiam potest pro hac sententia S. Ephre. lib. de vera poenit. c. 4. vbi agens de iudicio sic inquit. *Videbimus prætoriam, ac vinctam crucem in celo lucentem, omnesque fines orbis terræ ultra Solis claritatem illustrari.* Vbi vero viderint omnes regum istud, ac tremendum scriptum in celo reuelari, iam tunc agnoscent singuli continue ipsum quoque Regem reuelandum, qui in illo clauis affixus est, iudicauit etiam hoc Sybilla lib. 6. in fine, his carminibus:

*VValdens.
Chrysost.*

Ephrem.

Sybilla.

*O lignum felix, in quo Deus ipse pendit,
Nec te terra capis, sed celi recta videbis
Cum renouata Dei facies ignita micabit.*

C Hæc sententia impugnatur à quibusdam Scholasticis hoc argumento: quoniam post diem iudicii omnia mixta, præter hominem resoluenda sunt in elementa. Sed hæc ratio parui momenti est, tum quia eo tempore quo crux apparebit, nondum erit facta omnium mistorum resolutio: tum etiam quia, etiam si alia mista essent resoluta, facile posset Deus illud pretiosum lignum conseruare. Imo non desunt qui existiment perpetuo esse in celis conseruandum, veluti immutatum ad statum incorruptibilitatis corporum glorioforum, eo quod speciali modo fuerit nostræ redemptionis instrumentum, & altare, in quo Christus seipsum in sacrificium obtulit. Hæc igitur opinio nullo argumento efficaci contineri potest falsitatis, sed solum incertitudinis. Quia nequit sufficienti autoritate fundari, nam Scriptura, & Ecclesia solum dicit, signum crucis futurum in celo: quamuis autem ipsa Crux, in qua Christus pendit, possit dici signum Crucis, quia habet Crucis figuram: tamen ex vi illorum verborum solum potest colligi figuram Crucis in aere apparituram, ex aere lucido, vel igne formatam. Præterea Sancti docent illam crucem futuram esse conspicuam vniuerso orbi: & Augustinus ait tantam futuram esse illius Crucis claritatem, ut in conspectu eius neque Luna neque Sol possit apparere. At vero sola Crux lignea Christi nimis est exigua, ut possit & ab omnibus videri, & tam ingentem splendorem emittere, omnesque fines terræ ultra Solis claritatem illustrare, ut S. Ephrem supra dixit, & ideo Hippolyt. Martyr. dicta orat. de consum. mundi, Orietur (inquit) ab Oriente ad Occidentem vsque signum Crucis superans splendorem Solis, denuntians aduentum & apparitionem iudicii. Quapropter alij existimant probabilius, non ipsum lignum Crucis, sed solum signum ex aere formatum esse apparituru: Quam sententiam tenet expressè Anselm. in Elucid. Antonin. 4. p. tit. 24. c. 11. §. 5. Eamque attribuit D. Thomæ, qui hoc insinuat in 4. dist. 42. q. articul. 2. ad 2. & opusc. 2. capit. 142. Et eandem amplectuntur Abulensis, Iansenius, & alij expofitores,

*Quæ, qualis
erit in die
iudicii appar-
itura sit
crux.*

*Anselm.
Abulens.
Antonin.
D. Thomæ*